

16 Apud Æginetas summo plaufu dicata statua Taurostheni. *K. Græc.* Hic à Chione (de quo die 11. n.7.) in Olympio certamine prostratus; pudore suffusus propter dedecus patriæ; studuit vincere gymnasij exercitio continuo cum athletic cæteris ac pugilibus, sequentique Olympiade omnes dejecit, qui in luctæ certamen descenderant; sed prodigio singulari: ubi palmam tulit: etenim, ut ait Dalecamp. in 7. *Plin. cap. 20.* quod sumpsit ex Pausania, *cap. 186.* Eodem quo coronatus est die, spectrum Taurostheni persimile, Ægina victoriam ejus nunciasse, dicitur.

Statua Taurostheni, & prodigium.

Sacra Martii.

Imago.

Mores Nasamonum.

17 Inter Nasamones sacra Marti. Theodor. Gaza. Festum celebratum primis floribus, ingruente Vere. Alludit Martis imago, nam Mars supra florem stat, hasta scutoque munitus, flore radice sua in cymbe medio firmante: Kircher. in *Magia hieroglyph. figur. 16.* Summè sunt hujusmodi superstitionibus dediti. Divinant, ad suorum accedentes monumenta, & illic ubi preces peregerunt indormiunt; ubi quodcumque per quietem insomnium viderint, eo utuntur. Mortuos sedentes sepeliunt; observantes, ut dum quis cepit agere animam, eum sedentem constituant, ne supinus expiret. In sidem dandam, uterque de manu alterius murò sumpto poculo, bibit. Si non est, quod bibi valeat; è terra cinerem lingunt. Herodot. 4. à n. 42. & Ravil. Text. 7. *Officin. cap. 48.*

DIES XXIII. FEBRUAR.

VII. K.

1 **G**Rad. 3. Piscium, in quo uberissima piscium captura, ostentatione potentia fideris. Anton. Constant. in 2. *Fistor. v. 458.* Etiam Arcturus oritur vespertinè. Columell. Arcturus dicitur Minerva filius à Virgilio, 11. *Æneid. v. 259.* Explicat Solinus *cap. 19.* Post Ilij excidium (inquit) Argivam classem vel Minerva ira, vel quod certior prodit memoria, filius Arcturi gravibus affecit casibus. German. Cæf. in *Arat. n. 6.* canit:

Arcturus.

Germ. Cæf.

Fabula.

Non illi obscurum caput est, non tristia membra,
Sed proprio tamen una micat sub nomine flamma:
Arcturum dixere sinus, quæ vincula nodant.
Dicunt Poetæ hunc esse Arcadem filium Jovis, quem membratim disceptum edendum Numini apposuit Lycaon; sed Jupiter impactis membris in vitam reductum transfornavit in stellam Arctophylacis, quæ Arcturus dicitur: de qua *Isag. Jul. n. 16.* Hoc

in gradu Corus & Aquilo simul flant. *Ptol. Corus ventus, id est, ex occidentali latere Septentrionis. Plin. lib. 18. cap. 34. Cervix Leonis manè occidit. Junctin. K. A. Vir cuneum edens, Sphær. Arab.*

2 Post septem dies à plaga prima in Ægyptios, infligitur secunda Ranarum. Pereira in 7. *Exod. disput. 12. n. 69.* Plagam describit Joseph. 2. *Antiq. cap. 5.* & ex illo Histor. Schol. hic *cap. 16.* ex *Exod. 8. à v. 3.* Anno sequenti præcipitur Moyfi erectio Tabernaculi, ordoque in ejus & Aaronis consecratione. Leonard. Mar. ex *Exod. 39. & 40. à 1.* Juxta Genebrard. *ann. 2670 & Seder-Olam, cap. 7.* cœperunt hodie septem consecrationum dies, impletque sunt die 1. Nisan, in quo Tabernaculum erectum. Errant, ut dicemus ibi n. 2. Semper cum fictione aliqua ingenia Rabbinica. Ibidem dicitur: *Septem consecrationem diebus continuis, erigebat Moyses Tabernaculum mane quolibet, & ad illud offerrebat oblationes, posteaque dissolvebat, atque disjungebat: at die octavo erigebat quidem, sed non disjungebat. R. Josue in alia est sententia: nam inquit, etiam die octavo erigebat, & deponebat. Comedebant autem Aaron & filij ejus carnes arietum & panes qui in canistro erant positi. Evanuerunt in cogitationibus suis.*

Secunda Ægypti plagæ.

Præcipitur Moyfi Tabernaculi erectio.

3 Hoc pretiosum Tabernaculum, dictum Tabernaculum fœderis, quia in illo Arca legis Tabulas continens, fœdere factò inter Deum & populum. Ita quidem distinguitur ab alijs Tabernaculis sacris, quæ pridem habuerant Patriarchæ & Israëlita, vel cum essent in Ægypto. Elucet sacræ paginæ pluribus testimonijs. Moyfi dicitur post primò datum Manna, *Exod. 16. à v. 32.* *Imple gomor ex eo: Dixitque Moyses ad Aaron: Sume vas unum & mitte ibi Man, quantum potest capere gomor, & pone coram Domino ad servandum in futuras retrò generationes: posuitque illud Aaron in Tabernaculo reservandum. Necdùm erat ædificatum, quod Fœderis, à Beseleel & Ooliab, quò servari in memoriam possit; licet ab Alapid. hic intelligatur In Tabernaculo & Arca cum illa ædificata fuerint. Ita ergo, non diceretur, Pone; sed Pones: factumque refertur, dum dicitur: Posuitque illud Aaron in Tabernaculo reservandum. In Tabernaculo, priusquam extrueretur quod Dominus Moysen facere jussit, juxta exemplar quod illi in monte monstratum; Jetro postquam obtulit holocausta & hostias pacificas, cum cognatis & senioribus Israël comedit in Tabernaculo; quod signatur per tò: *Coram Deo. Ibid. cap. 18. 12.* In illo Tabernaculo ante novi splendidi-*

Ante Tabernaculum fœderis alia sacra tabernacula.

dioris fabricam & erectionem, Moyses precepta Domini populo nota faciebat, & explanavit legem, operamque navabat regimini multitudinis, & ejus petitiones dirigebat ad Dominum: insuperque super illud videbatur gloria Domini, id est, columna nubis & ignis. Perspicuisque elucet *ibid. cap. 33. à v. 7.* ubi describuntur ad quæ munia observiebat. Unde quia filij Israël adoratione Vituli fregerant pactum; ut impudentiam objiceret eis, etiam illud extunc vocabat Moyses Tabernaculum fœderis; quod cum esset intra castra, ob peccatum extra castra eduxit, ubi absente Moysè remanebat in custodiam Josue. *Ibid.* Etiam ibi servatæ Tabulæ legis, quas post primas fractas attulit de monte Moyses, quousque fabricata Arca fœderis, & in quo à facie tollebat velamen. *Ibid. cap. 34. à 30.*

Immo Arca.

4 Addit alia & singularia Jacob. Boulluc, 2. de Ecclesia ante legem, *cap. 12.* Notandum (ait) quod cum populus Israel esset adhuc in Ægypto, erat jam Arca Testamenti; coram qua populus Deum adorabat, & ex qua Deus sua reddebat oracula cum Propitiatorio & Cherubinis aureis, sicut in illa alia magnifica, quam postea in deserto jussit fieri. Immo cum populus Israel transivisset mare Rubrum, antequam tribus Levi ingrederetur in ministerium Arca & Tabernaculi, tribus Juda derulisse videtur; per quam Deus tunc viam fecit populo, sicut postea temporibus Josue in transitu Jordans Levitæ portantes Arcam, viam populo fecerunt. Ita ergo *Psal. 113. à 1.* dicitur: *In exitu Israël de Ægypto, mare vidit & fugit: Jordanis conversus est retrorsum.* Primum per Arcam primam: posterius per secundam. His ergo lubitò suffragor: at minimè sententiæ, qua ibi ab illo profertur, duos scilicet Cherubinos, qui erant in Arca priore representasse Jacobum & Judam: in fabricata à Moysè, Jacobum & Josephum; juxta illud *Psal. 80. 6.* Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti (in quo Auctor in consequentià laborat, cum præmittit, in exitu de Ægypto testimonium non in Joseph, sed in Juda positum à Numine) Ariolatur, maximè cum subdit: *Ex Dei præcepto à Moysè statutum est, ut Patriarcha Jacob & Joseph in suis Cherubini super Arcam positi essent in thronum ac sedem, ex qua Deus sua judicia & testimonia redderet: & maximè quando sic Joseph in testem Dei super Arcam primò positus est in ea serè forma & gloria, quæ per urbem triumphum egit, quando cepit dominari super Ægyptum & in publicis acclamationibus audivit: Flecte genua. Vasta profectò*

cogitatio: ipse ibid. taxat dicens: *Audacter dixerim. Sacra testimonia in suam cogitationem retorquet. Hoc non est exponere, sed somnare, uti sæpe in opere videbimus.*

5 Adhuc in proposito non quiescit, sed voluntaria roborare satagit, *ibid.* attruens: *Per totum mora in Ægypto tempus, apud Israëlitas ad minus unam fuisse Arcam Testamenti, in qua erant Cherubini Jacobi & Judæ: credibile est, aliam adhuc priorem extitisse, in qua ante mortem Jacobi, Abrahæ & Isaac erant Cherubini. Mortuo Jacob à succedente in Ecclesia regimine Josepho alteram Arcam fuisse constructam; in qua poni cepit Cherub Jacobi cum Isaaci Cherubo. Hoc ut impleatur numerus quatuor Cherubinorum, quos Ezechiel per analogiam ad quadam phenomena, sub quibusdam animalium figuris symbolicè representavit: nimirum Isaac in figura hominis; Jacob, quia vidit Deum facie ad faciem, in aquila solis contemplatrice. Judas juxta benedictionem in leone: Joseph in vitulo. Præclarum profectò ratiocinium; sed duntaxat in sensu accommodatitio ingeniosum, at à veritate alienum. Repetit cogitamen exanguie & elumbe etiam in oggio Christian. sæpe. De Tabernaculo veteri & novo consule Calmet, in Dictionar.*

6 Anno 3436. elapsis juxta Briet. ab hujusmodi Sanctuarij dedicatione, 891. capta est denuò à Nabuchodonosor Jerusalem, cum Rege Jechonia filio Joacim; quin causa indignationis exponatur, licet ab AA. divinetur: quandoquidem illum de folio deposuit, ad quod tribus retrò mensibus placide assumpsit, ut dicemus 12. *Novembr. n. 12.* Nec cæspitandum in eo quod 4. *Reg. 24. 8.* dicitur: *Tribus mensibus regnavit in Jerusalem; & 2. Paralip. 36. 9.* adduntur decem dies. Sæpe dixi, in Scriptura numerum imperfectum tam annorum quam mensium & dierum prætermitti. Recesserat Nabuchus, ex quo interfecit Joacim & expilavit urbem, missis captivis in Babylonem (de quo, *loc. cit. Novembr. n. 11.*) in Tyrum, quam obsessam habebat, uti dicemus, 24. *August. n. 3.* Inde inopinatò, missò exercitu, Hierosolyma etiam obsedit; quod quidem Jechoniam perculit & cunctos urbis cives, ignorantes obsidionis causam, & Babylonij Regis, amici propositum, quamvis altè sedebat in animo vaticinium Jeremiæ, qui initio Regni Joacim prædixerat, Jechoniam & matrem ejus ducendos exules in Babylonem. *Jerem. 22. 26.*

Jechonias deponitur è folio.

Antilogia.

7 Comestor in 4. *Reg. cap. 39.* Cum re-

cessisset Nabuchodonosor (ait) timuit ne Joachim (Jechonias) memor necis paterna, adhereret Aegyptijs, & pugnaret adversus eum; & ideo rediit, & obsedit Jerusalem. Eadem apud Josephum, 10. Antiq. cap. 9. & Torriell. Ann. 3436. n. 1. Consulitur Jeremias, & ne cremaretur civitas, monuit Jechoniam se cum civitate Babylonio dedere. Cum esset natura bonus & justus (fallitur Joseph. d.) non sustinuit periclitantem propter se urbem despiciere, sed matrem & cognatos tradidit Ducibus à Rege missis, obsides; isto hoc cum eis fœdere, quod nec urbi mali aliquid inferrent, nec civibus. Unde egressus de Jerusalem (arbitror in Reblatha, quò motus Tyrionum observabat in obsidione) ipse, & mater & aulici & Principes, urbem, agros aras & focos seque dederunt Nabucho. Ubi suprâ v. 12.

8 Josepho, d. videtur, non statim fulmen transmigrationsis Jechoniam percussisse. Nec per integrum quidem annum (infit) fides servata est; Babylonio Rege violante eam, & mandante per litteras suis Ducibus, ut omnem juventutem captivam, ex urbe abducerent, & in his Joachimus cum amicis ac matre, qui à Rege in custodia sunt habiti. Ducti sunt in Babylonem juxta eundem, 10832. viri. Mentitur Josephus, ut solet, & in rebus majoris momenti ex Reg. loc. cit. constant decem millia diversi generis: militum septem millia; Artificum, mille; & bis mille ex populo & sacerdotibus; qui adducti in captivitatem etiam dicuntur, Jerem. 29. à 1. Conciliare conatur numerum Josephi cum sacro, Canus, 11. de Loc. Theolog. cap. 5. sed tantum subtiliter, minimè verè. Occurrit etiam diversitas numeri captivorum in Jerem. 52. 28. ubi dicitur: *Iste est populus quem transulit Nabuchodonosor. In anno septimo*

Judeos tria millia & viginti tres. Uti vidimus, fuere decem Judæorum millia. Certum utrumque: verum non in eodem tractu; quod constat, quia dicitur, In anno septimo. Annus septimus Nabuchi, fuit captivitate facta in morte Joacim. Præfens translatio fuit anno octavo, regnante Jechonia. Nihil mirum, quod in diversa captivitate sit diversus numerus captivorum. Vide 12. Novembr. n. 11.

9 Illa prima Judæorum translatio juxta Comestor. d. dicta est Captivitas: hæc verò propriè Transmigratio; quia spontè se tradiderant. Nabuchus protulit inde thesauros templi, & aulæ, & concidit supellectilem sacram, quam Sanctuario Salomon consecerat & cum civibus præfatis transtulit Babylonem; inter quos etiam numeran-

tur Ezechiel, Josedeck Pontifex, & Mardocheus. Esth. 2. à 5. Comestor, loc. cit. Torriell. Ann. 3436. n. 5. Adrichom. 3363. & plures Rabbiorum: at ridendi qui in Seder-Olam, cap. 25. audacter dicunt: *In medio Jubilai migravit Jechonias, asportatis simul pretiosis vasis domus Domini, id est, Arca. Ab hoc anno & die cœpit captivitas Babylonica, juxta Cajetan. Genebrard. Scaliger. & plurimos Expositores; etsi Torriell. loc. cit. Anno, 3429. n. 12. & 3447. à n. 2. inficitur; numerando septuaginta annos, à captivitate Sedecia. Superfedeo, quoniam fusè de argumento egi, Tom. 7. T. 9. à n. 21. Vide 12. Jul. à n. 7.*

10 Jechonias juxta Adrichom. d. Babylonem carceri mancipatur, & constat ex ejus exaltatione, de qua perendie, à n. 5. tuncque pro eo in Jerusalem constituitur Rex Juda, patrius ejus Sedecias: Nabuchusque fœdere renovato, fecit eum per Deum Israël jurare; quod fideliter sub tributo Chaldæis serviret, remotus à societate Aegyptiorum. Idem ibid. ex 2. Paralip. 36. 10. & 4. Reg. 24. 17. Joseph. 10. Antiq. cap. 10. Comestor, in 4. Reg. cap. 40. Genebrard. Ann. 3558. & Hebr. in Seder-Olam, cap. 25. In Sedeciam propensus erat Nabuchodonosor, juxta sententiam Rambam in Jerem. 27. quia in diebus Joacim, fratris ejus præfecerat quinque Regibus, qui ibid. nominantur, v. 3. Unde cum ille proximior sanguine esset antecessoribus regibus, elegit in thronum Juda, qua electione, cum sub ejus nutu essent, legatos miserunt in specimen gratulationis de regno, ut ibid. dicitur: quod quidem fusius dicemus, 8. Decembr. n. 3.

11 In vastitate urbis capto Jechonia, etiam vasa sacra è Sanctuario eduxit (4. Reg. 24. 13.) quasi esset non veri Dei, sed Idoli. Unde Seder-Olam, cap. 28. ait: *Quo die Nabuchodonosor intravit in templum, & invasit, diebus Jechonia ei natus est hostis, scilicet, Darius Medus. Ideo apud Daniele dicitur, expugnata Babylone: Darius Medus suscepit regnum, annos natus sexaginta duos. Tot enim anni fluxerunt à depositione Jechoniae, usque in mortem Balthasaris. Ibid. & Briet. & Genebrard. Ann. 3560. Qui asserunt natum in expugnatione Jerusalem sub Sedecia; falluntur: tunc enim dum eversum regnum Babylonis, non haberet, 62. annos, ut asseritur, Daniel. 5. 31. Quare Torriell. Ann. 3454. n. 1. natum asserit anno octavo à captivitate Babylonica sub Jechonia; ut respondeat computus annorum 62. septuagesimo, in quo solu-*

Captivatus Ezechiel, Josedeck, & Mardocheus.

Quando captivitas Babylonica?

Sedecia eligitur in Regem Juda.

Præficitur à Nabucho quinque Regibus.

Darius Medus nascitur.

Et deditur cum urbe Nabucho.

Antilogia.

Alia.

ta, ingrediente Cyro in Babylonem.

12 Hic Darius dicitur filius Assueri, Daniel. 9. 1. quem multi dicunt maritum Estheris. Alij Assuerum esse nomen dignitatis, quia sonat Magnum & supremum Principem. Alij fuisse Cyaxarem (filium adoptivum Astyagis Regis Persarum atque Medorum) cujus regnum divisum inter illum & Cyrum, ita ut hic esset Persarum Rex, & ille Medorum, quorum junctis copijs exercitus expugnavit Babylonem. Denique nihil è regio sanguine habuisse, sed esse civem Babylonis, origine Medum, & nomine Nabodinum, unum è conjuratis in Balthasarem, ultimum Regem Babylonis; cujus morte consensu Procerum obtinuit imperium, quod habuit annis 17. in quo appetitus à Cyro Rege Persarum, & inclusus intra Dorsippenam arcem, deditione facta, in Carmaniam adductum fuisse. Scaliger. ad Euseb. ann. 14. 17. alijque, ut videbimus in expugnatione Babylonis, 20. April. n. 12.

Quisnam fuerit?

An Nabodinus?

Cyros solvit Babylonicam captivitatem.

Jejunium.

Zorobabel cum captivitate egrreditur è Babylone.

jubetur à Cyro; & loco Esdræ cit. v. 4. legitur: *Excepto, quod voluntariè offerunt templo Dei, quod est in Jerusalem. Idem, v. 68. Facilis antithesis expositio, vel sumpto Est, pro Eri: vel quia in Jerusalem vel templo everso erat altare; ut constat ex his qui illo incenso venerunt moerentes cum muneribus & thure, ut offerrent in domo Domini. Jerem. 41. 5. & dicemus 4. Septembr. n. 4.*

15 Ergo illi Duce Barachia (ibid. dicto Salsabasar, & ex munere Zorobabel, quod nomen ex Deo imposuit Zacharias Propheta, cum Salathiel in circumfisione Barachiam vocaret: igitur Salathielem benedicens, filium appellavit Zorobabel: q. d. hic erit magister captivitatis Babylonica. Comestor. d.) exierunt gaudibundi cum suis Principibus ex Juda & Benjamin, Sacerdotibus, Levitis & Nathineis, Nehemia & Mardocheo, multaque substantia auri & argenti, quorum numerus quinquaginta millia virorum, exceptis parvulis & mulieribus. Esdr. loc. cit. & cap. 2. à 1. Quomodo autem 50000. dum ibid. v. 64. dicitur: *Omnis multitudo 42000. exposuimus, Tom. 6. T. 4. n. 10. Reliqua 1. Jun. à n. 7. Ita cum Imperium Babylonicum, rapinà Nabuchodonosoris elevatum esset, & Israëliticum deformatum; hoc reformatum per Cyrum Regem Persarum, & hunc sublimavit Deus super universum Nabuchodonosoris imperium.*

16 Eodem in die post 18. annos, alij dicunt 20. sub Dario Hystaspis, cum intra septennium absolutum esset templum Jerosolymitanum, quoad interna, quò soli sacerdotibus ingredi quibant (Vide 25. Octobr. n. 7.) perfectum penitus est quoad externa, laicis per via. Magnis studijs proficiebat templi edificatio juxta mandata Cyri & Darij, prophetantibus interim Aggao & Zacharia: *absolutumque est intra septennium. Anno autem regni Darij nono vigesima tertia die mensis Adar, nobis duodecimi, edificaverant Judæi porticus quoque, quibus templum circumquaque includebatur, &c. Joseph. 11. Antiquit. cap. 4. Statim atque omni ex parte templum perfectum Zorobabel cum Nehemia rediit Babylonem ad Darium, ut nunciaret illius decreta executioni mandata, gratulaturus de tot populo suo beneficijs collatis. Zorobabel ergo ibidem diem clausit. Rabbini in Seder-Olam Zuta; Decur. 6. qui non post templi dedicationem, sed anno 7. Artaxerxis rediisse autumant, quando Esdras venit Jerosolymam; quod quidem omninò falsum, quippe juxta Briet. Ann. 3568. tam ille, quam Jesus mortuus est, eodem anno quo Darius Hystaspis, avus*

Antilogia.

Numerus redeuntium.

Antilogia.

Templum sacrum absolutum.

templa inchoata.

Zorobabel tertio rediit Babylonem, ubi obiit.

Lon-